

ADELBERTVS EPISCOPVS HAMBVRGENSIS.



ADelbertus multis virtutibus exornatus fuit. Itaq; Hamburgensis ecclesiæ præsul omnium consensu electus est, anno Christi 1040. Postea in omnibus borealibus regnis, Daniæ, Suetiæ, & Noruagiæ legatus apostolicus constitutus, & tandem in patriarchalem dignitatem subleuatus fuit. Confuebant cum in curiam eius multi sacerdotes & episcopi qui sedibus suis à vicinis Barbaris expulsi erant. Hos benigno animo suscepit & liberaliter fouit. Eos postea ad diuersas gentes emisit, & Christianorum religionem docere iussit. Is etiam Aldenburgensem ecclesiam in tres episcopatus sua authoritate diuisit, utpote in Aldenburgicum, Megalopolensem, & Raciburgicum. In his locis viros doctos præsules constituit, & eos suo exemplo formam gregis esse iussit. Sic factum ut Adelbertus ob res præclarè administratas, suo tempore in maxima existimatione fuerit. Alb. Crantz. in Vandal. lib. 3. cap. 3.